



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Metropolis Salisbvr gensis

Continens Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum
Collegiatarum, &c. per Boiariam, ac loca quædam vicina

Hund, Wiguleus

Monachii, 1620

De Minoritico conuentu Landtshutensi. Conu. III.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13578

De Minoritico conuentu *Landshutenfi.*
Conu. III.

VT primum inclitus heros *Heinricus Ludouico* fratri vterino *Bauarico* in Ducatu successit, ne interim sibi deuotionis, atque beneuolentiæ erga *Franciscanos* palmam cecidisse videretur, emptam *Landshutæ*, quæ *Bauariæ* ciuitas est, arcem ad conuentus dignitatem promouit, atque *Minoritis*, sub anno *Dominicæ* incarnationis 1280. tradidit. Cumque huiusmodi conuentus ad annum vsq; *Domini* 1466. *Conuentualib.* patrib. subiacuisset, *Ludouico* ad *Bauariæ* Ducatum assumpto, ex *Pauli* Pont. Max. decreto ad *Observantes* fratres translatus extitit. In quo denique 30. fratres inhabitant, sepultusq; iacet religiosissimus simul atque doctissimus *P. F. Conradus Nocytheimus*, quondam *Bauariæ* Custos, qui *Commentarios* in beati *Ioannis* Apostoli & *Euangelistæ* *Apocalypsim* luculentissimè edidit composuitque.

De Minoritico *Kelhemmensi* Conuentu
Conu. IV.

CONSTRUXERAT sibi *Antonius* quidam à *septem castris Tertiarij* idque sub Anno *Domini* 1450. non procul à *Kelhemmo* *Bauariæ* oppido, vbi *Almonius* fluuius patentissimis faucibus in *Danubium* influit, sub rupe tuguriolum ad eremitorij instar: inibique per aliquot annos inhabitauit. Dumque perfectiorem vitam anhelat, eo relicto. *Viennam Austria* se confert, vbi & *Franciscanæ* Religionis habitum in *Minoritico* *Paradisi* conuentu induit. Cum autem, huiusmodi habitu reiecto, antiquum domicilium remeare contenderet, à latronibus grassatoribq; truculenter in itinere occiditur. Generosi itaq; *Bauariæ* Duces *Ioannes* atque *Sigismundus*, ne præfatum tuguriolum cui pulcherrima ædicula, diuo *Nicolao* Episcopo sacra adiuncta erat, prophanis vsibus pateret, ipsum *Observantibus* huius *Prouinciæ* fratrib. 19. mensis Iulij, anno *Domini* 1454. ex apostolica *Nicolai V.* Pont. max. facultate adiudicandū, atq; in *Monasterij* formam ex propriis facultatibus transferendum curarunt. Verumtamen cum is locus continuis vtriusq; fluuij exhalationibus obnoxius esset, ab habitatoribus, id tamen maximè sollicitantibus præfatis ducibus, post 17. annos derelictus, atque *Tertiarij* quibusdam, *Franciscanis* traditus est. Ipsi interim fratres nostrorum conuentum, multo elegantiore, à se deserto, sibi à memoratis Ducibus in iugulo montis *S. Michaelis* non longè ab ipso oppido *Kelhemmo*, ædificatum petierunt. Idque tamen non citra contractionem illis accidit. Nam, repugnatib. *Ratisponensi* Episcopo, atque *Kelhemmeni* clero, semel & iterum loco cedere coacti sunt. Donec tandem re per *Pium II.* Pont. Max. cognita, & istis fratrib. scilicet pacifica loci habitatio collata, & illis Episcopo videlicet & clero perpetuum silentium impositum est. Cæterum secundus hic locus, in sancti *Michaelis* monte constructus, à quatuor tantū religiosis inhabitatur.

Vertrag / wegen des Parsfüßer Freidthofs / 2c. zu
München auffgerichtet de Anno 1517.

In Gottes Genaden wır Wilhelm vnnnd wır Ludwig Pfallensgrauen bey
Rhein / Herzogen in Obern vnnnd Nidern Bayern / 2c. Gebrüder / Bekennen
vnnnd thun khündt / hiemit aller meniglich / als jrung entstanden sind zwischen
den